



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Septem Illvstrivm Virorvm Poemata**

**Cesarini, Virginio**

**Antverpiae, 1662**

Ad Serenissmvm Genvensis Reip. Dvcem Avgvstinvm Centvrionem, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-7990**

NATALIS RONDININI. 225

AD SERENISSIMUM  
GENVENSIS REIP. DUCEM  
AVGVSTINVM CENTVRIONEM,

Cùm primùm noui Magistratus fasces  
attolleret, summâ ingeniorum con-  
tentione celebratos.

**A** *Vreus ut primùm nitidis emerferat undis  
Lucifer, & noctem vicerat illa dies,  
Quæ tibi laurigeros, virtutis præmia, fasces  
Detulit, & munus vidit inisse tuum,  
Et patriæ res & curas, sanctiq; Senatus  
Excepisse animis publica vota tuis,  
Adfuit ad plausus vasti gens humida ponti  
Tyrrhenæ liquido Tethyos acta sinu;  
Formosæ visu facies, Drymoq;, Thoeq;,  
Et quas prætereà longâ referre mora est.  
Quas inter patrio percussus numine Proteus  
Hæc Latijs fertur præcinuisse modis:  
Maçte animo: extulerint homines quæ maxima  
quondam  
Gesseris; at quæ dehinc, auguror, astra canent.  
Dixerat: & plausum iussit dare protinus omnes  
Quos habet vnda Deos, quas habet vnda Deas.*

P

Ego

AD

Ego dormio, & cor meum vigilat.

**N**ox quāuis oculorū ignes premat atra nitentes,  
 Et condant somno lumina victa faces;  
 Lumina quæ circum casti glomerantur Amores,  
 Et Pudor, & triplici Gratia nexa choro:  
 Nox tamen assiduis lacerat præcordia curis,  
 Imperat atque oculis irrequieta quies:  
 Nec prius obrepet, qui laxet pectora, somnus,  
 Quàm sternas capiti molle cor ipse meo.

LVSVS PASTORITIVS.

**D**Vrus Oryx torquere graui seu spicula cornu,  
 Seu terrere leues per nemora alta feras:  
 Quem toties succincta habili Dictynna pharetrâ  
 Mirata est agiles inter Hamadryadas:  
 Cùm premeret celo medium sol igneus orbem,  
 Præberet lasso cùm breuis umbra torum,  
 Multa inter quercus querulâ prolusit auenâ.  
 Obstupuit doctos Nympha secuta modos.  
 Ipsæ etiam tacitis stupuerunt Naiades undis,  
 Ipsa etiam Arcadij fistula victa Dei.  
 Ille etenim nunquam sacris vocalia lymphis  
 Antra, Meduseos attigeratq; lacus.  
 Sed quæ etiam indoctas siluæ docuere volucres,  
 A siluis didicit carmina durus Oryx.

Pfy-

## PSYCHE, seu fabula Papilionis.

**N**ympharum Psyche quâ non fuit altera totâ  
 Pulcrior Arcadiâ, cui cura nec vlla fluentem  
 Aut mulcere comam, aut tenues percurrere telas,  
 Miles erat Phæbes, voluitq; inculta videri,  
 Et placuit: nemora & sylvas nec gratior vlla  
 Attigit, aut montes venatu terruit vlla.

Iamq; toros tædis ætas matura iugales  
 Spondebat: fugit illa faces & nomen amantis,  
 Sed odit, votoq; dolet quòd forma repugnet:  
 Cùm satus Iapeto, quem Psyche mater eodem  
 Ediderat Clymene fortunatissima partu,  
 Attulit inuentum cælo mortalibus ignem,  
 Nec benè digestam, & certâ sine imagine massam  
 In speciem eduxit moderantùm cuncta Deorum.  
 Ille (fide maius) lapidem vix admouet igni,  
 Paulatim letalis hiems de marmore cedit.

Vincula mollescunt genuum, saxumq; relinquit,  
 Vitalesq; vias & respiramina liber  
 Spiritus intus obit: vocis recluditur vsus:  
 Conatus loquitur: nil trunci restat in illo.  
 Miratur, tacitumq; rogat Psyche inscia fratrem,  
 Vnde vigor lapidi? quæ tanta potentia flammæ?

## 228 POEM. NATALIS RONDININI.

Frater ad hæc contrà : Donum immortale Mineræ  
 Aspicias : ast alios Cypris tibi destinat ignes .  
 Iam distingue comas, & finge decentiùs ora.  
 Indoluit virgo , vetitamq̃ agnoscere flammam  
 Attentat propiùs : sed enim, ceu concitus Austro  
 Per stipulas flauasq̃ furit Vulcanus aristas ,  
 Atque alimenta suo præbet seges arida damno:  
 Sic inconcessos ubi virgo contigit ignes,  
 In flammam abit, ac veluti è fornace profundâ  
 Feruentes trahit ore faces , & concipit æstus.  
 Vix fratri cineres , & cognoscenda supersunt  
 Ipsius effigies , & quæ ferat ossa sepulcro .  
 Ille sed exanimis properat , semiustaq̃ membra  
 Componit tumulo , fumantiaq̃ exta sororis  
 Ambrosia succis , & odoro gramine condit.  
 At flamma haud oblita sui est , seruatq̃ vigorem  
 Ingeniumq̃ suum , tumuloq̃ erumpit , iterq̃  
 Dat volucris , varijs quæ picta coloribus alas ,  
 Nunc etiam vetitos demens circumuolat ignes,  
 Atque suas Psyche flammam, sua damna, frequentat.